



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

17. Excommunicatio quam Suniarius Episcopus Helenensis fecit adversùs
invasores rerum ecclesiasticarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

*Excommunicatio quam Suniarius Episcopus Helenensis fecit
adversus invasores rerum ecclesiasticarum.*

Ex Chartu-
lario Eccle-
siae Helle-
nensis.

XVII. **Q**uamvis igitur sint aliqui in cursu hujus declivi temporis qui propter desiderium regni caelorum Christo favente à noxiis vitiorum fordibus se abstrahant & ad compunctionem laudabilem assidue se provocent, tamen è contrà existunt plures Ecclesiae catholicae inimici, qui instinctu diaboli tamdiu se pestilentissimis damnabilis cloacae foetoribus praefocant quandiu rei & nudi in profundissimis gehennae flammis aeterna damnati morte descendant, nihil secum praeter peccata portantes. Hujus rei causa extant quidam pervasores sanctae matris Ecclesiae, qui se fatentur Christianos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanae, videlicet quia iustitiam Dei deserentes, & suam volentes constituere, iustitiae Dei non sunt subiecti, sed substantias sanctarum Ecclesiarum, ac si immanissimi lupi, rapientes, corpora & animas suas diabolo tradere non dubitavere, inretiti laqueis illius. Quapropter ego Sugnerius favente larga clementia Christi Episcopus sanctae sedis Helenensis excommunico & anathematizo cum clero mihi commisso tam viros quam mulieres, tam Clericos quam laicos, eos videlicet, & Volveradus Levita, qui ausi fuerunt intrumpere & invadere substantias seu parochias quae ad sedem sanctae Eulaliae seu dioecesim pertinere videntur, quae sunt in comitatu Valle Asperi & in comitatu Confluenti, ita ut excommunicati & abominati permaneant & sequestrati à liminibus sanctae matris Ecclesiae, nisi ad satisfactionem & emendationem infra istos octo dies venerint, & Ecclesias quas violenter rapuerunt ad sedem sanctae Eulaliae reddiderint, & honorem & debitum & censum qui mihi ex ipsis Ecclesiis debetur reddiderint. Presbyteros etiam ipsarum Ecclesiarum, qui baptizare vivos, vel sepelire mortuos, aut Missas canere, vel aliquod sacrum ministerium in eis extra voluntatem meam facere ausi fuerint, simili modo excommunico & anathematizo, ita ut non habeant licentiam baptizare quemquam, vel sepelire, ad Missas canere, vel aliquod sacrum mi-

nisterium celebrare, usque ad satisfactionem & emendationem veniant. Ab hoc igitur anathematizationis & excommunicationis vinculo excludimus Olibanum Comitum & Mironem fratrem ejus Episcopum, cenobium etiam sancti Michaelis & omnes habitantes in eo, & cenobium sanctae Mariae in Valle Asperi, ita tamen ut non recipiant illos, neque habeant cum eis colloquium, aut ullam participationem, quos nos excommunicamus. Quod si fecerint, in eodem excommunicationis & anathematizationis vinculo permaneant. Ab hodierna igitur die constituimus eis terminum usque ad octo dies, ut veniant ad satisfactionem, & congruam emendationem, omnes qui Ecclesias dioecesis sanctae Eulaliae sine voluntate mea, id est, Sugnerij Episcopi, invadere aut tenere praesumpserint vel praesumunt, & honorem & debitum & censum qui mihi ex ipsis Ecclesiis debetur reddiderint. Sin autem emendare noluerint, omnes personae, sive laici, sive Presbyteri, sive feminae, qui contra voluntatem meam injustè tenere Ecclesias & censum earum, sicut jam diximus, praesumpserint, quae sunt dioecesis sanctae Eulaliae, vel Presbyteri qui in eas aliquod sacrum ministerium super excommunicationem meam celebrare praesumpserint, & omnes consentientes & adjuutores eorum, sint anathema maranatha, & sint excommunicati, & à liminibus sanctae matris Ecclesiae expulsi, & à consortio omnium sanctorum extranei, & à corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi alieni, & à consortio Christianae religionis segregati, nisi ad dignam poenitentiam atque satisfactionem infra superscriptum tempus coram Deo & coram me venerint, cujus vicem veri pastoris fungimur, quamvis indigni. Quem & supplices deprecamur ut oris nostri alloquio aures pietatis accommodans, quos excommunicamus excommunicet, & quos anathematizamus anathematizet, unus & verus Deus Dominus noster Iesus Christus, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen.

